Lane Medical Library

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA

SISTENS

DUAS MORBI HISTORIAS EXQUISITAS, ALTERAM UTERI GRAVIDI RETROVERSI, ALTERAM ECLAMPSIAE PARTURIENTIUM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS VICTOR SCHOELLER

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

J. H. BECKER, MED. ET CHIR. DR.
CL. BOTSCHEN-HORST, MED. ET CHIR. DR.
TH. GLASMACHER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

1835

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0291

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS, AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS,

D. G. H. BUSCH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS, MEDICINAE PROFESSORI P. O. IN UNIVERSITATE LITERARUM FRIDERICA GUILELMA, INSTITUTI CLINICI OBSTETRICII DIRECTORI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE QUARTA EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM MEDIC. ET NATURAE SCRUTAT. SODALI, UNIVERSITATIS HUJUS H. T. RECTORI MAGNIFICO ETC. ETC.

ET

J. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA, DIRECTORI INSTITUTI POLICLINICI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, SUPREMI COLLEGII AD REGENDAS RES SACRAS ET MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM SODALI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE ET CRUCIS FERREAE EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS

HUMANISSIMIS AESTUMATISSIMIS

SUMMA REVERENTIA COLENDIS

NEC NON

FRATRIBUS

CARISSIMIS DILECTISSIMIS

CAROL. AUG. SCHOELLER

ET

FERD. GUIL. SCHOELLER

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Ex quo Ill. *Naegelé*, artis obstetriciae Professoris excellentissimi, praelectionibus interfui, eumque de artis et clarissimis doctrinis et salutari usu praeclarissimae praestantia suavissimo ore disserentem audivi, studium illo ceterarum medicinae disciplinarum haud minus arti obstetriciae adverti. Quo factum est, ut, quod Ill. ***Busch***, h. t. Rector Magnificus, praeceptor aestumatissimus gradus doctoris candidato proposuit: dissertationem de perversa funiculi umbilicalis conditione conscribere, lubentissimo animo amplexus sim. Qua in re elaboranda quoque haud parvam operam nec breve tempus consumsi. Cum autem ad anatomicam hujus organi partem animum attenderem ejusque structuram partesque constituentes penitiori examini subjicere conarer, tantum temporis necesse esse mihi visum est, quantum materiae absolvendae impendere equidem non potui. Ad meliora tempora igitur eam reservare constitui, et aliud dissertationis argumentum circumspexi.

(Ex iis, quae anatomica funiculi umbilicalis disquisitio obtulit, liceat tamen hoc loco afferre, quod neque cultro anatomico neque usu microscopii eximii Ploessliani, cui partes suspectas supposui, ut nervos in funiculo umbilicali investigarem, mihi contigit, quantumcunque studium huic rei adverti. Filum autem tenue, album, per totum funem decurrens, quod urachum continuatum autores interpretantur et ***Wrisberg***, ***W. Hunter*** et ***Cruikshank*** descripserunt, semper inveni, qui enim quavis sectione transversa chordae umbilicalis, uti punctum albidum, densum, in medio fune inter vasa apparuerit).

Itaque morborum haud ita frequentium casus duos exquisitos, quorum observandorum facultas in institutis clinicis Ill. ***Busch*** et Ill. ***Truestedt*** mihi data est, pro dissertationis argumento elegi. Viris autem Illustrissimis, Humanissimis, qui benevolenter concesserint, ut horum morborum historiam publici juris facerem, gratias ago maximas. Quas tu nunc, Lector, benevolo animo accipias.

SECTIO PRIMA.

UTERI GRAVIDI RETROVERSI HISTORIA.

Charlotta Grund, femina, viginti quattuor annorum, in pago Mühlenbeck non procul a Berolino nata, corpore valido, ingenio tardo praedita, praeter solitos infantum morbos nullum alium morbum usque ad annum aetatis decimum octavum contraxit. Cui prima menstrua anno aetatis decimo quinto provenerunt, et quarta quaque hebdomade sine molestiis fluxerunt. Anno aetatis decimo octavo febris intermittens per tres fere menses eam vexavit, quae vi Chinae febrifuga tandem sanata est. Anno aetatis decimo nono operario nupta duos hucusque liberos peperit, quorum natu minore, puella, ante duos annos et dimidium felici partu soluta est. Exeunte mense Martio hujus anni menses sine ullo bonae valetudinis damno subsederunt, neque huc usque redierunt. Quam bonam valetudinem autem casus singularis nuper turbavit. Cum enim die XXXI m. Maji tempore vespertino, ut capris pa-

bulum conveheret, in arbustum alta fossa aquaria cinctum mulier se contulisset, a silvarum curatore in hoc negotio deprehensa est. Quae perterrita in fugam se dedit, et cum onere dorso imposito in fossam aqua paululum impletam insiluit. Fugientem venator comprehendit, mulctaque ei dicta, domum demisit. Negotiis domesticis peractis, quin alias molestias, quam aliquam lotii reddendi difficultatem sensisset, mulier dormitum se contulit. Quae, postquam ad horam secundam usque post mediam noctem bene dormiverat, acerrimis doloribus in regione hypogastrica media exortis et cum crebra urinae reddendae cupiditate conjunctis e somno suscitata est. Mane diei sequentis propter dolorum non solum per inferiorem abdominis partem sed etiam in regionem sacralem diffusorum vehementiam e lectulo surgere non valuit. Simul abdomen tumidum animadvertit. Symptomata haec adfuisse aegrota narravit: ***calor corporis universalis, sitis vehemens et capitis dolores;*** quibus apparet, febrem inflammatoriam sine dubio adfuisse. Dolores abdominis interdiu increverunt, alvus adstricta, et urina guttatim solum et magnis cum doloribus reddita est. Varia remedia a propinquis commendata, e. g. cataplasmata, aquae vaporationes, remedia purgantia etc., nil ad morbum leniendum valuerunt. Die tertio morbi medici Berolinensis auxilium imploravit, qui hirudines decem ad locum dolentem applicandas praescripsit. Nulla tamen valetudinis refectio. Alius medicus, quem misera convenit, gravidam eam declarans, venaesectionem imperavit, quae tamen non est instituta. Die decimo quarto mensis Junii tertium adiit medicum, qui, cum ascitis suspicionem haberet, hanc formulam praescripsit:

℞ Tart. natronat. ℥j
solve in
Aqu. comm. ℥vj
addc
Extr. Aloës ℈ß
Spirit. nitrico aether. ʒjj
Elaeosacch. Junip. ℥ß
M. D. S. Omni bihorio cochlear majus.

Ad infricandum abdomini hanc formulam:

℞ Ungt. Hydrarg. ciner.
— Rorismar. comp. āā ʒij
Trae. Opii simpl. ℈j
M. fiat Ungt. D. S. Ad usum externum.

Quibus tamen remediis cum ad sanitatem non rediisset, anxia corporis affectione, die decimo sexto mensis Junii Institutum policlinicum medico-chirurgicum, quod laete floret Directore Illustrissimo Truestedt, Regi a consiliis medicis intimis, misera auxilium implorans adiit.

Status morbi die XVI. mensis Junii.

Aegrota, media statura, corpore valido praedita, ore paulum leucophlegmatico haud magnam valetudinis affectionem prodit. Dentes pravi sunt, e transverso sicut in rhachiticis sulcati. Lingua muco tenui et albido obtecta, in margine rubra. Thoracis percussio et auscultatio nullum signum morbosum offerunt. Spiritus autem difficultatem situs horizontalis adducit. Mammae flaccidae et laxae sentiuntur; areola circum papillas parum fusca. Pulsus modice pleni, molles, octoginta ictuum in sexagesima horae parte.

Abdomen, quo morbus contineri videtur haec signa offert.

I. ***Ope visus.*** Ambitus abdominis tumidi duplo major est solito, cujus in superficie permultae apparent striae longitudinales, quae ex regione hypogastrica in utroque latere ad umbilicum usque orbis instar diffunduntur, sed lineam albam non tangunt. Quarum ad latus umbilici sitae sunt candicantes, inferiores ruboris parvi erysipelatodis. Pudenda et praesertim labia majora oedemate magnopere tument, quo extremitates quoque inferiores, dextra minus tamen quam sinistra, affectae sunt.

Qua re tanta effecta est molestia, ut aegra neque ambulare vel libere stare, neque lectulum in usum explorationis apportatum sine auxilio conscendere posset.

II. ***Ope tactus.*** Digitis abdomen, praecipue quo striis illis obtectum est, prementibus dolor efficitur, nulla tamen fovea remanet. Calor cutis diminutus. Tumor circumscriptus, piriformis, totum abdomen occupans, ab osse pubis ad regionem cardiacam usque porrigitur, quo loco fundus ejus dextrorsum situs digitis circumscribi potest. Cujus tumoris superficies antica, marginesque laterales ab umbilico paululum supra manum transversam lati sensum praebent parietis densi, crassi, quemadmodum uteri parietes in femina gravida sentimus. Forma tumoris igitur illi uteri mense nono lunari gravidi simillima. Altera manu tumoris lateri imposita, altera oppositum latus percutiente, motus undulatus, exiguus quidem sed manifestus sentitur.

Exploratio interna situ erecto instituta haec signa obtulit:

1) *exploratio per vaginam.* (Quae tamen propter genitalium oedema accurate institui non potuit). Digitus, labiis majoribus oedematosis paululum diductis atque com-

pressis, in vaginam immissus tumorem offendit in parte pelvis minoris inferiore situm, elasticum, quo fortius presso, satis magna humoris aquosi, haud maleolentis, copia in manum profluit. Portio uteri vaginalis digito tangenti non patuit.

2) *exploratio per anum.* Digito indice in intestinum rectum introducto, tumor sentitur paululum durus, quoad formam globosus, levi tactu jam dolens. Qui digito sublatus pressu cessante relabitur.

III. *Ope auditus.* Strepitus aquae agitatae instar praesertim in regione iliaca dextra auditur.

Signa morbosa, de quibus aegra conqueritur, haec sunt:

Dolores obtusi in regione epigastrica, tactu aucti; sensus ponderis et frigoris in abdomine, ex quo aliquid per genitalia prolabi velle videretur; sudor deficiens in toto morbi decursu; alvus adstricta; urina rara, quam guttatim tantum et cum doloribus redderet; somnus inquietus. Cibi cupiditas satis bona. Menstrua, quamquam abhinc undecim fere hebdomades suppressa essent, nulla tamen adhuc graviditatis signa, ut in prioribus graviditatibus se observasse, abdomen tantum, priusquam casus adversus accidisset, solito paulo amplius factum esse, retulit.

Morbi diagnosis.

Morbi cognitio haud parvam difficultatem obtulit.

Motus undulatus, quem sensimus, tumore digitis percusso, humorem abdomine contineri manifeste confirmavit. Ascitem diffusum autem non adesse, sed peculiari receptaculo humorem coërceri, forma tumoris circumscripta quovis

corporis situ non mutata declaravit. Porro non dubitandum fuit, quin dolorum in regione hypogastrica perceptorum, laesaeque alvi et vesicae urinariae functionis causa ex hoc tumore proficisceretur. Sedem tamen ac naturam mali signa morbosa efficientis explicandi majorem difficultatem obtulit. Quam ob causam hoc utrumque propositum est:

1) tumorem ***vesica urinaria***, cujus distentionem ingentem quidam uteri morbus effecerit, conformari.

2) tumorem ***utero humoribus aquosis distento*** conformari. (Itaque hydrometram et quidem uteri gravidi adesse. Graviditati enim subita menstruorum bene semper respondentium cessatio, ambitusque abdominis increscens, quem observavit femina, ex quo illa subsedissent, satis certam fidem fecerunt.)

Contra quod primum propositum est repugnant: enormis distentio tumoris ad regionem cardiacam porrecti, qui sedecim dies jam perduravit, quin graviora signa in organis affectis inde orta essent; urina difficilis quidem sed non plane suppressa; sensus massae solidae, quem paries anticus tumoris marginesque laterales digitis explorantibus obtulerunt; humor aquosus haud maleolens, qui profluxit, cum tumor ille elasticus digito per vaginam explorante comprimeretur.

Certant pro altera thesi: signa quae exploratio externa internaque obtulerunt; genitalium et extremitatum inferiorum oedema; striae candicantes in abdominis superficie; humor aquosus nullumque odorem spargens, qui subinde exit; sudor ab initio morbi deficiens; frigoris et gravitatis sensus in abdomine; sensus ab aegra perceptus, ac si quid e genitalibus prolabi vellet.

Quibus rebus clare elucet, pro tempore certam morbi diagnosin statui nequivisse, praesertim cum catheter, quem paratum habuimus, ob genitalium tumorem et dolorem non introductus sit.

Morbi prognosis.

Dubia morbi cognitio dubiam tantum prognosin admisit.

Morbi cura.

Quod curam attinet, principium ejus nobis visum est, rationem habendam esse status partium affectarum subinflammatorii, quem organorum afflictorum dolores signaque universalia, uti pulsus irritati sitisque vehemens, certo manifestarunt. Ab quo statu igitur curationis adhibendae indicationem duximus, atque aegrotae hirudines viginti ad latus internum femorum applicandas, propter alvum adstrictam hanc formulam praescripsimus:

℞ Ol. Ricini ℥j
Gi. Mimos. ʒiij
fiat cum Aqu. comm.
lege artis Emuls. ℥vj
adde
Elaeosacch. Citri ʒj
M. D. S. Omni hora cochlear majus.

Morbi decursus.

Die XVII. m. Junii. Quibus remediis dolor partium afflictarum diminutus, et alvus quater soluta est. Urinae difficultas minor. Ad usum internum haec formula praescripta est:

℞ Hb. Digital. purp. ℈j
infunde cum Aqu. fervid. ℥vj
colaturae refrigeratae adde
Tart. boraxat.
Syrup. Croci ana ℥ß
M. D. S. Omni bihorio cochlear majus.

Die XVIII m. Junii. Inclinata in melius valetudo est. Urina rara quidem, sed sine doloribus reddita est. Inter explorationem internam denuo institutam, quae nullum tamen ad morbum melius cognoscendum signum obtulit, humoris limpidi, nullum odorem spargentis, magna copia effluxit.

Remediis hujus formulae continuatis aegrota usque ad diem XXVII. m. Junii satis bene valuit. Urinam raram quidem tamen sine doloribus reddidit. Humoris aquosi autem pluries inter noctem tanta copia e genitalibus effluxit, ut totum lectum ipsamque humum madidaret. Qua re aegrota multum levata, ambitus abdominis diminutus et genitalium extremitatumque inferiorum oedema fere totum remotum est. Status gastricus qui neglecta victus cura die XXI. m. Junii evenit, commodiori victu mox expeditus est. Alvus adstricta aqua Pilnaensi amara omni tempore fausto cum successu soluta est. Pro potu aqua Selterana praescripta est. Pulsus, (sine dubio ex usu Digitalis), lentiores facti sunt, sexaginta ictuum in sexagesima horae parte.

Die XXVII. m. Junii. Post meridiem aegra de calore faciei, vertiginis sensu et doloribus periodicis in abdomine questa est. Nox insequens propter dolores et humorum effluxum inquieta fuit.

Die XXVIII. m. Junii. Commodior valetudo. Ab-

domen tactu non doluit; atque aegra quovis situ sine molestiis cubare potuit. Pulsus lenti, debiles; cibi cupiditas bona; sitis parva. Medicina continuata est.

Die XXIX. m. Junii. Ventris dolores redierunt. Aegrota pulverem ***Doweri*** unum accepit.

Die XXX. m. Junii. Abdomen adhuc valde distentum est. Tumor digitis explorantibus manifestam fluctuationem obtulit, et ad regionem cardiacam usque porrectus uterum nono mense lunari gravidum simulavit. Pudenda et femora libera oedemate. Prioribus impedimentis igitur expeditis, exploratio per vaginam nunc libere instituta haec signa obtulit: Paries posterior introitus vaginae tumidus globi instar prolapsus est; versus vesicam urinariam tumor alter, plicis laquearis vaginae compressi conformatus, obvenit, quibus diductis portio vaginalis supra et ad symphysin ossium pubis sita, orificiumque uteri externum, antrorsum conversum, apertum digito tangenti patuit. Exploratione per anum innotuit: statim supra sphincterem ani tumorem adesse paulum mobilem, elasticum, globiformem, qui desuper decurrens intestinum rectum comprimebat. Digito indice manus sinistrae eodem tempore in vaginam introducto, tumorem ab utraque parte contrectare potuimus, eumque versus laquear vaginae attenuari, ampullaceum igitur esse animadvertimus. (Quem tumorem in perinaeo quoque sensimus.) Quibus signis morbi natura luce clarior apparuit, uterique gravidi retroversio sine ulla dubitatione manifestata est. Illico repositionis conatus factus est, aegrota in genua et cubitos nisa, uterum digitis duobus per anum immissis dextrorsum praeter ossis sacri promontorium removere tentavimus. Doloribus autem inde exortis pro tem-

pore de conamine destituimus. Magna tamen urinae aquosae copia interea effluxit. Aegrotae his experimentis valde affectae haec formula praescripta est:

℞ Rad. Valerian. ʒij
infunde cum Aqu. fervid. ℥vj
colaturae refrigeratae adde
Aether. acetic. ʒß
Elaeosacch. Foenicul. ʒij
M. D. S. Omni bihorio cochlear majus.

Die I. m. Julii. Cum faustus repositionis iterandae successus solum vesica urinaria evacuata sperandus esset, quam tamen ob timorem haemorrhagiae ex subito collapsu hujus organi, tamdiu et enormiter distenti, orientis sensim tantum evacuari constitueramus, catheterem in iter urinae demisimus. Quem, quamvis orificium urethrae superne ad arcum ossium pubis detractum fuit, facile et sine magnis doloribus introduximus. Duae mensurae urinae maleolentis effluxere, et, cum urina sanguine tingeretur, instrumentum extractum est. Quo interdiu pluries etiam introducto quinque omnino mensurae urinae detractae sunt. Tumor abdominis ad umbilicum usque descendit. Aegra bene valuit.

Die II. m. Julii. Aegrota bene dormivit. Alvus die abhinc tertio adstricta. Mane catheter propter dolores inde exortos in iter urinae demitti non potuit. Circa horam undecimam ante meridiem dolores ventris vehementes orti sunt, sensim admodum ingravescentes. Simul abdomen uti antea tumuit, atque vesica urinaria ad priorem distentionem enormem sublata est. Quibus rebus nil prius faciendum putavimus quam catheterem introducere, per quem ab initio magna copia urinae multo

cum sanguine mixtae, tum merus sanguis effluxit. Qua de causa et propter dolores non ferendos in regione vesicae catheter sine mora extractus est. Continui dolores una cum signis congestionis ad caput, pulsuque frequenti et duro, venaesectionem indicarunt. Quae nondum instituta est, cum subitus livor labiorum, sensuum defectus et algor extremitatum, animae defectionem adpropinquantem significarunt. Aegrotae quam celerrime remedia analeptica data sunt, et fronte atque temporibus aethere lavatis, aquis frigidis in os inspersis, extremitatibus fricatis, clysmatibus duobus irritantibus applicatis, pediluvio calido parato, sanguinis circa unciae octo detractae sunt. Valetudinis refectio secuta est, abdomine tamen ita dolente, ut ne levem quidem pressum aegra tolerare posset, hirudines duodecim ad latera interna femorum applicatae sunt. Simul emulsio papaverina cum Aqua Laurocerasi praescripta est. Quibus rebus dubiis ad Illustrissimum ***Truestedt***, tunc, proh dolor! aegrotantem, misimus, qui ex sueta humanitate, ut rebus secundis repositionem uteri retroversi instituerem, permiserat, ejusque, Viri Experientissimi, consilia ac praecepta nobis exquisivimus. Relicto mihi apud aegrotam res admodum dubiae apparuere, quas in melius mutandas, si quid meo judicio susciperem, Illustrissimum ***Truestedt*** indulgenter ac benevole condonaturum existimavi. Cum igitur pensitarem, quem pressum in vesicam urinariam tumida uteri cervix exerceret, quo dolores immodice augerentur, in omnibus his rebus adversis uteri retroversi expedita repositio optimum remedium mihi visum est. Itaque aegrotam, quae primum in genua et cubitos nisa erat, quo situ uterus reponi non potuit, in latus dextrum ad le

ctuli marginem cubare et femora adducere jussi. Cum per vaginam ob partium angustiam et timorem vesicae admodum irritandae repositio institui non potuerit, digitis indice et medio manus dextrae oleo inunctis uteri fundum removere molitus sum. Quo conatu cum magni dolores non apparerent, et uterus jam cederet, fortius eum sursum et dextrorsum praeter promontorium ossis sacri repressi, donec uterus digitis subito elapsus est. Quibus peractis statim per vaginam exploravi, et prolapsu parietis posterioris vaginae evanito, portionem uteri vaginalem tumidam, pollicarem, in mediam vaginam prominentem tetigi. Quibus signis felix atque perfecta uteri retroversi repositio confirmata est. (Magna copia urinae inter operationem prorupit.) Rerum conditione hoc modo mutata, aegra denuo refecta prae gaudio lacrymavit, ipsosque dolores admodum diminutos esse retulit. Quam in ventrem cubare, abdomine linteis cincto, jussi. Collega, qui interea Illustrissimum ***Truestedt*** convenerat, reversus est, atque praecepta Viri Experientissimi nobiscum communicavit. Ex quibus aegrotae Mixturam sulphurico-acidam in aqua saccharo dulcata dedimus et hirudines quindecim ad loca dolentia abdominis applicavimus. Cum alvus tempore vespertino nondum soluta esset, Oleum Ricini cum pauxillo Spirit. sulphurico-aether. aegra accepit; quibus remediis alvus bis soluta est. Excrementa urina sanguinolenta mixta fuerunt. Per noctem duo medicinae candidati vigiliarum vices apud aegrotam, quae extra ***Portam Regiam*** hora amplius ab instituto clinico apud sororem habitabat, servarunt, quam circa mediam noctem febri correptam esse retulerunt. Pulsus frequentes, nonaginta quinque ictuum in sexagesima horae parte,

sitim vehementem et cutem calidissimam, siccam, observarunt. Doloribus in regione vesicae urinariae pressu paulum adhuc perceptis iterum hirudines quindecim ad loca dolentia applicatae sunt. Febri ad lucem remissa, aegra horas aliquot bene dormivit.

Die III. m. Julii. Aegrota satis valuit. Pressu parvi dolores in regione vesicae urinariae etiam percepti sunt. Urina sanguine adhuc tincta sine voluntate destillavit. Aegrota jus avenaceum libenter coenavit. Situm in latere dextro perpetuo observavit. Vesica urinaria tactu tensa umbilicum inter et symphysin ossium pubis porrecta est. Abdomen molle non doluit. Exploratione per vaginam instituta, portionem uteri vaginalem semipollicarem, orificium ejus apertum, labia prioribus partubus scissa sensimus.

Ob alvum tardam Oleum Ricini, et ad sistendam haemorrhagiam in vesica urinaria adhuc perdurantem Mixtura sulphurico-acida continuata sunt.

Die IV. m. Julii. Aegra bene dormivit, alvus bis soluta est. Uterus gravidus distentus per mollia abdominis tegumenta sentiri, et propter ligamenta uteri retroversione relaxata ultro citroque agitari potuit, situmque secundum aegrotae situm mutavit. Cujus fundum circa duos pollices supra umbilicum, dextrorsum situm, animadvertimus. Urinae sanguine coagulato mixtae magna copia sine voluntate effluxit.

Die V. m. Julii. Aegra satis valuit. Dolores fortiori tantum pressu percepti sunt. Urinam hodie primum sponte redditam esse, mulier laeta voce retulit; lotium mucum sanguine coagulato mixtum continuit. Abdomen linteis cinctum est. Ad restaurandum vesicae urinariae vasorum tonum, cujus defectu, sanguine impe-

tuosius affluente, haemorrhagia interna acciderat, decoct. Ratanhiae cum Acido sulphurico praescriptum est.

Die VI. m. Julii. Aegrota bene dormivit et satis valuit. Alvus Oleo Ricini soluta est. Fundus uteri antea magis dextrorsum situs medium abdomen occupavit. Urina turbida quidem et sedimentosa nulla tamen sanguinis vestigia exhibuit. Medicina intermissa est; pro potu aqua saccharo dulcato cum Acido Halleri.

Die VII. m. Julii. Uterus gravidus situm normalem occupavit. Urina sponte reddita est; dolores in regione vesicae urinariae plane evanuerunt. Permirum videtur, quod hoc die febris impetus accessit, cujus signa febrem intermittentem praedixerunt. Quae proximis diebus quoque tertianae formam induit, Chinio sulphurico autem mox sanata est. Febris bis etiam recidiva continuato Chinii usu tandem plane remota est.

Aegrota, manifeste refecta, vires priores brevi recuperavit.

Exeunte mense Julio motus infantis vivaces sensit, et die XI. m. Augusti optime valens in patrium pagum rediit.

EPICRISIS.

Haec morbi historia novum exemplum offert difficultatum uteri retroversi cognoscendi, quem saepius jam confusionis cum hydrometra acuta, quae in hoc casu tantopere arrisit, ansam dedisse me latet. Quam rem, ad diagnosin quidem maximi momenti, tamen non tanta pericula adducturam esse, puto, quanta ex mutatione illius cum aliis morbi conditionibus, ad operationes violentas invitantibus, orta sint, quarumque exitus funestos apud

scriptores de hoc malo legere licet. Indicationes enim in hydrometra acuta curanda, quae occurrunt, ut statum hujus organi subinflammatorium methodo antiphlogistica removeamus, et humorum in utero collectorum resorptionem aptis remediis, praecipue diureticis et purgantibus, expediamus, non solum graviora uteri retroversi signa temperarent, sed etiam, impedimentis accuratioris explorationis remotis, veram morbi cognitionem adducerent.

Uteri retroversio in hoc casu, uti ex alto ejus fundi, in perinaeo etiam sensi, situ parvaque mobilitate eluxit, perfectissima fuit; ad quam expediendam morbi diuturnitas, signaque die, quo operatio facta est, cautissimam vesicae urinariae evacuationem sequentia, uti indicationes vitales, repositionem postularunt, quam rebus admodum dubiis institutam optima valetudinis refectio probavit.

Quod ad operationem ipsam pertinet, liceat hoc loco monere, quod sola rerum conditio et retroversionis gradus decernere possint, num per anum aut per vaginam eam instituamus. Utriusque methodi alteram solam adhibendam esse, mihi non videtur, quod operationibus una alterave methodo aeque feliciter peractis etiam probatur. Quod idem de mulieris inter operationem situ, quem nonnulli auctores tanti momenti putant, dici potest, cum situs lateralis in hoc casu aptissimus fuerit, quamvis Ill. ***Kilian*** (die Operationslehre der Geburtshülfe, 2ter Th. Bonn 1835, pag. 201) eum in numero salutarium non habet.

SECTIO ALTERA.

ECLAMPSIAE PARTURIENTIUM HISTORIA.

Friderica Meissner, viginti quattuor annos nata, mediocri forma, capillis e fusco-flavis, oculis caesiis, ceterum haud infirma puella, et primum, ut affirmavit, uterum gerens, exeunte mense Aprili **1834** in Institutum clinicum obstetricium, quod floret Directore Ill. ***Busch***, h. t. Universitatis literariae Fridericae Guilelmae Rectore Magnifico, recepta est. Quae, dum explorata est, dubitationem aliquam de indicio movit; laevibus quidem abdominis tegumentis, orificium uteri externum paululum apertum sensum est, labiis orificii asperis et aliquantulum tumentibus. Pars praevia caput mobile fuit, terminus graviditatis mensis lunaris decimus. Bona cum semper usa esset valetudine, neque quidquam praeter normam inventum, prognosis de partu bona pronuntiata est.

Tempus ad partum usque optime transegit gravida, omnibus negotiis domesticis functa. Semel tantum vo-

mitu spastico correpta est, quam saturatio kalina mox refecit. Mane die XIII. m. Maji, questa de doloribus similibus illis, quos vocant praesagientes, ab obstetrice Instituti viro Cel. Doctori *Bartels*, Instituti medico secundario, parturiens indicata est. Qui explorando cognovit, orificium uteri ad magnitudinem grossi extensum esse, et partum ab hoc incepturum putavit. Doloribus contra primum diminutis, postea plane remotis, spes propinquae solutionis procul recessit. (Magnis molestiis hoc die, uti postea comperi, per amatorem gravida affecta est.) Noctem a die XIII. ad XIV. m. Maji, inter fulgura et tonitrua transeuntem inquiete peregit, et post mediam noctem misera subito convulsa est. Periculum, quod institit, feminae custodes cum ignorarent, spasmorumque signa doloribus ad partum rursus incedentibus tribuerent, primo otiosae rem spectarunt, continuis convulsionum assultibus autem, praesertim spasmo cynico terrefactae obstetricem Instituti arcessiverunt. Quae ubi convulsam adspexit, morbi indolem cognovit, et circa horam quintam Doctorem *Bartels* vocari jussit. Miseram interea vomitus vehementissimus invasit, quem pedisequae convulsiones comitatae sunt. Terdecies fere vomuit aegra, primo materiam mucosam, deinde biliosam. Inter prima intervalla mentis adhuc compos fuit, quod signis et capitis nutationibus notavit; loqui enim propter linguam tumidam dentibusque laniatam non potuit. Postea in ipsis remissionibus sensibus defecta, stertorosa, facie inflata et livida fuit. Pulsus subduri, frequentes et parvi. Venaesectio ℥x instituta pulsus meliores reddidit. Remissio secuta est sesquihorae, et interea sinapismi suris, fomentaque frigida

capiti illata sunt. Hyoscyami gr. ij cum tart. stibiat. gr. β aegra accepit.

At novus convulsionum insultus quietem intercepit, et pulsus rursus pejores cum facti essent, iterum sanguinis ℥vIII ex incisa vena detractae sunt. Doses Ipecac. pulverat. gr. ij cum tart. stibiat. gr. j omni semihora ter repetitae sunt. Clysma applicatum ex infus. flor. chamomill. cum oleo et sapone.

Mane circa decimam horam ipse miseram vidi et plures etiam convulsionum assultus observavi. Aegrota sensibus defecta, capite sinistrorsum reclinato, brachia et crura ita iactavit, ut a custodibus vix in lectulo retinerentur. Musculi faciei, praesertim dextri, vehementer convulsi sunt; lingua cruenta et ex ore porrecta solum ope cochlearis linteis obvoluti et in os immissi potuit conservari, cum maxillae perpetuo trismo comprimerentur. Oculos occlusos tenuit, quos cum aperuissem, pupillam vidi ampliatam et sursum versam, vultum ferocem et defixum. Aërem cum fremitu ex copia salivae et muci duxit. Mammae turgidae, pulsus frequentes, parvi et tensi.

In remissionibus alto sopore capta fuit aegra, corpore collapso et cruribus resupinis. Aërem magno cum anhelitu reddidit. Pulsus irregulares, parvi et molles.

Partus interea nil processit, neque uteri orificium ampliatum est. Postea circa duodecimam horam uterum sensimus duriorem, orificium ejus ad magnitudinem pollicis extensum, caput infantis altius descensum, et situm ejus in diametro obliqua secunda. — Ne novis spasmorum insultibus, quorum circa viginti adfuere, matris vita periret, et ut infans fortasse conservaretur, partum

manu promovere foetumque vi educere, Ill. ***Busch*** constituit. Parturiente igitur e strato suo in lectum ad partum, quem vocant ***Sieboldianum***, translata, capite cum brachiis per feminas custodes sustentis, pede genuque ab assistentibus ad utrumque latus sustentatis, operationis initium factum est. (Ad excitandam vim vitalem Aetheris acetici gtt. XV. miserae instillatae sunt). Dextram manum ad cubitum usque inunctam Ill. ***Busch*** in vaginam lege artis induxit et orificium uteri dilatare conatus est. Quod tamen propter crassa neque ad partum satis praeparata labia orificii difficile factu fuit. Multo labore tandem manus in uterum intravit, et capite remoto ad pedes pervenit. Ovi velamentis diruptis, dextroque tantum pede arrepto et, foetu verso, in vagina tendicula cincto, rursus manum ingessit alterumque pedem in vaginam et foras deduxit. Postquam ad coxas usque infans extractus fuit, funiculum umbilicalem vidimus femur constringentem, quem, cum supra genu restringi non potuit, Ill. ***Busch*** discidit. Extractio tunc continuata, et, brachiis solutis, infantisque corpore sustento, forceps major Buschiana ad caput applicata est.

Recens natum, qui haud longe demortuus videbatur, ad vitam revocare frustra conati sumus. Bene conformatus fuit, pondusque ejus libras sex et semis aequavit.

Inter operationem, praecipue cum uteri orificium dilataretur, parturiens acerrimis convulsionibus correpta est. Quam, ubi infante soluta est, vehementissimus pulmonum spasmus cruciavit, ita ut spiritum quam maxime impeditum solum musculis abdominalibus vehementer motis ducere posset. Quam ob rem Tinct. Valerianae gtt. XX. et

affectione spasmodica longius persistente, alteram dosem accepit, quae tentationes mitigavit. Post quadrantem horae placentam in vaginam delapsam una cum velamentis facile eduximus, quae margine tendineo cincta fuit, duasque simul placentulas succenturiatas inter velamenta continuit.

Convulsionum accessus ex hoc non rediere, soporque altus aegrotam occupavit. Cui ad usum internum saturatio kalina cum Lactucario praescripta est, et hirudines XV. ad frontem applicatae, fomentaque frigida ad caput continuata sunt. Pro litu oris Oxymel simplex.

PUERPERII HISTORIA.

Die XIV. m. Maji, hora post meridiem septima. Continuus sopor. Spiritus difficultas nulla, pulsus frequentes, parvi, molles. Leves interdum musculorum faciei et utriusque brachii convulsiones. Calomelanos gr. j accepit, pulveris Doweri dosem unam.

Die XV. m. Maji. Aegrota ex alto sopore refecta dolores in toto corpore magnamque lassitudinem accusavit. Regio uterina tactu doluit. Linguae dolores vehementissimi. Mammae turgidae. Fluxus lochiorum incepit. Loco saturationis kalinae Infus. Ipecac. cum Aqu. Laurocerasi praescriptum est. Pulveres Doweri et Calomelanos bis per diem repetiti sunt.

Die XVI. m. Maji. Febris adfuit. Mammae collapsae. Medicina non mutata.

Die XVII. m. Maji. Mane febri remissa aegra meliorem se habuit. Mamma sinistra paululum turgida.

Doloribus in regione uterina rursus exortis, hirudines XX. ad ventrem et postea cataplasmata applicata sunt.

Die XVIII. m. Maji. Febris cum ingenti sudore. Dolores in ventre diminuti; linguae dolor maximus. Urinae crebra cupiditas, quae tamen rara et situ erecto solum reddita est. Alvus saepius quam prioribus diebus soluta. Fluxus lochiorum bonus.

Die XIX. m. Maji. Aegrota acerrimos linguae dolores accusavit, et rebus diligenter exploratis ulcus gangraenosum sub lingua inventum est. Prognosis admodum dubia, ventre rursus dolente, pulsuque debili, frequente. Tempore vespertino iterum hirudines XX. ad ventrem applicatae sunt. Pulveres Doweri et Calomelanos repetiti.

Die XX. m. Maji. Venter liber doloribus. Emulsio amygdalina cum Tart. stibiat. praescripta est. Pro oris litu mel rosatum cum Tra Myrrhae, pro gargarismate Decoct. Chinae.

Die XXI. m. Maji. Magna inquies per noctem nec febris puerperalis remissio. Exploratione interna instituta innotuit, in vagina quoque prope uteri orificium ulcera gangraenosa adesse, labiis externis pudendi tumidis et dolentibus. Injectiones ex Infus. Chamomill. cum Decoct. Chinae. Hirudines nonnullae ad labia majora pudendi.

Die XXII. m. Maji. Aegrota parum dormivit atque acres linguae dolores accusavit. Angina faucium putrida eam corripuit. Decoct. Chin. cum Acid. phosph. et Tra Opii simpl. praescriptum est. Injectiones etc. continuatae sunt.

Diebus sequentibus, quibus aegrotam videre non potui, ad diem XXVII. m. Maji usque valetudinis refectio secuta est, ut postremo omnis de malo exitu metus procul recederet. Somnus quietior fuit; pulsus modice tantum frequentes. Frustula putrida una cum lochiis e vagina defluxerunt. Medicina non mutata est. Ob leves musculorum spasmos subinde exortos pulveres Doweri repetiti sunt. Ob magnam aegrotae sensilitatem decocto Chinae addita est Hb. Cicutae. Pro oris litu mel rosatum cum Tra Thebaica.

Hoc modo morbus ad sanitatem decurrere videbatur, laetiorque spes animos nostros implebat, cum nocte XXX. ad XXXI m. Maji subita metrorrhagia miseram corripuit et febrilia signa apparuere.

Die XXXI. m. Maji. Major sanguinis fluxus rursus accessit, quem mox virium consumptionis signa secuta sunt. Facies collapsa pallida, nasus acutus, pulsus parvi, frequentes, celeres. Sanguinem effluxus materiae ichorosae, similis illi in fluore albo maligno antecessit. Venter tumuit, uterique fundum in regione umbilicali sensimus. Tumor ipse, quem uterum habuimus, durus et tensus. Praescriptum est Ammon. muriat. in emulsione. Injectiones ex Infus. flor. Chamomill. et decocto flor. Malvae cum Hb. Cicutae applicatae sunt. Ad vim vitalem excitandam variis vicibus Aetheres quoque dati sunt.

Die I. m. Junii. Tempore pomeridiano miserrimam invisi. Odor foetidissimus, cadaverosus totum cubiculum implevit. Facies hippocratica, labia livida, pupilla ampla, vultus defixus. Maxima spiritus difficultas. Pulsus filiformes, frequentissimi, celerrimi. Summa cordis anxietas

ita ut, cor sibi detrudi, aegra diceret. Dolores non ferendos prope umbilicum accusavit. Continua corporis jactatio. Clamitavit, se mori debere. Circa quartam horam mortem occubuit.

SECTIO CADAVERIS.

Facta est sectio cadaveris die III. m. Junii horis triginta octo post mortem.

Cadaver in dorso situm oculis nil alieni obtulit nisi tumida labia externa pudendi.

Cavum cranii. Nullum in cerebro neque inflammationis nec congestionis signum, imo sanguinis inanitionem invenimus et omnes partes secundam normam.

Cavum thoracis. Superficies externa pulmonum quoad colorem normalis, ubique premendo et secando crepitatio. Rubor partium pulmonis inferiorum pro congestione tantum cadaverosa habendus est. Cor multo pinguedine obtectum, ceterum normale.

Cavum abdominis. Parva copia sanguinis extravasati in dextra parte omenti, quod cum peritonaeo ope membranae spuriae cohaesit. Pars hypogastrica parietis peritonaei antici conspissata. Abdominis tegumenta supra pubem postquam dissecta erant, partes subjacentes putridas invenimus et primo parietem uteri distenti anticum putredine corrosum crederes, organis autem, quae pelvis continet, diligenter excisis, accuratiusque perlustratis innotuit: permagnum abscessum vacuum adesse in tela cellulosa vesicam urinariam inter et parietem uteri anticum, et quidem latus dextrum occupantem, extra peritonaeum. Cavum abscessus cum laqueari vaginae cohaerebat fora-

mine prope portionem vaginalem in pariete antico dextrorsum sito, ita ut pari modo digitum e vagina tam in uterum quam in cavum abscessus inducere possemus. Qui abscessus, membrana quasi mucosa obductus, et quamvis collapsus, tantus fuit, ut primo a nonnullis pro vesica urinaria haberetur. Portio uteri vaginalis tota derosa fuit. Uterus sanus videbatur et paene ad normalem magnitudinem regressus. Membrana interna uteri mucosa materie fusca obtecta fuit, quam autem facile scalpello deradere potuimus.

Cetera abdominis viscera secundum normam.

VITA.

Ego Julius Victor Schoeller, natus sum Marcoduri, anno hujus saeculi undecimo, parentibus dilectissimis, patre Philippo Ludolpho Schoeller, matre Carolina e gente Tilemann oriunda, utroque superstite pieque colendo. Fidem confiteor evangelicam. Primis, quibus aetas puerilis imbui solet, literarum elementis instructus, Gymnasium adii Coloniense, ubi per annos octo literis humanioribus operam navavi. Maturitatis testimonio munitus almam literarum Universitatem Rhenanam petii, et autumno anni MDCCCXXX, Rectore Magnifico Ill. Gieseler, in civium academicorum numerum receptus, apud medicorum ordinis Decanum t. t. spectabilem Ill. Harless nomen professus sum.

Bonnae per annum unum et dimidium his scholis interfui.

1. Philosophicis.

Ill. van Calker de logice et psychologia; Ill. a Münchow de physice experimentali; Cel. Bergemann de chemia experimentali; Ill. Treviranus de botanice;

Ill. Noeggerath de mineralogia; Ill. Goldfuss de zoologia et zootomia.

2. Medicis.

Ill. Müller, h. t. in alma literarum universitate Berolinensi ord. med. Decani spectatissimi, de studii medici encyclopaedia et methodologia, de physiologia, de pathologia generali et semiotice, nec non de anatomia comparata; Ill. Mayer et Weber de osteologia, de anatomia generali et speciali, qui simul duces mihi fuerunt in arte cadavera rite dissecandi; Ill. Harless de materia medica, de therapia generali, de cholera Indica; Ill. Ennemoser de valetudinis tuendae methodo.

Vere ineunte anni MDCCCXXXII Heidelbergam profectus sum atque in literarum universitate Carolina Ruperta per annum unum et dimidium literis incubui.

Ab Ill. Umbreit t. t. Rectore Magnifico inter cives academicos receptus his praelectionibus interfui.

1. Philosophicis.

Ill. Schlosser de historia literaria aevi recentioris nec non de historia recentiorum temporum; Cel. Bischoff de botanice pharmaceutica.

2. Medicis.

Ill. Puchelt de pathologia et therapia speciali; Ill. Chelius de chirurgia, operationibus chirurgicis, fasciis ac ligaturis, de oculorum morbis, qui etiam in operationibus in cadaveribus instituendis mihi moderator fuit; Ill. Naegelé de arte obstetricia; Cel. W. Arnold de arte formulas medicas rite concinnandi.

Praeterea exercitationibus clinicis et medicis et chirurgicis nec non obstetriciis interfui Virorum illustrissimorum Puchelt, Chelius, Naegelé.

Autumno anni MDCCCXXXIII Berolinum me contuli, ubi ab Ill. Strauss t. t. Rectore Magnifico in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. Busch t. t. ordinis medicorum Decano spectatissimo, h. t Rectore Magnifico, medicinae studiosis adscriptus sum.

Exercitationes clinicae, quibus hucusque interfui, hae sunt:

Clinicum medicum Ill. Bartels et Cel. Wolff; clinicum chirurgicum Ill. Rust et Cel. Dieffenbach; clinicum ophthalmiatricum Ill. Juengken; policlinicum medico-chirurgicum Cel. Truestedt; clinicum obstetricium Ill. Busch, qui etiam exercitationum in phantomate instituendarum dux mihi fuit et moderator.

Praeterea Ill. Müller de anatomia pathologica disserentem audivi.

Per annum in exercitu regio, ut rei publicae satisfacerem, medici militaris voluntarii munere functus sum, duce Cel. Hartmann, turmae praetorianae hastatorum medico supremo.

Quibus Viris illustrissimis et celeberrimis, optime de me meritis, summas ago gratias.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero, fore, ut dissertatione, thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Cordis morbi nisi auscultatione adhibita dignosci non possunt.
2. Cordis sonorum normalium interpretatio, quae Magendie proposuit, falsa est.
3. Placenta foetus organon respiratorium.
4. Partus arte praematurus in primiparis quoque institui potest.
5. Embryotomiam, foetu ipso vivo, parturientium adjutori instituere licet.
6. Amputationem febris hectica non vetat.